



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 137. Quid de interpretatione legis sit notandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

perior ideo non improbet, quia difficulter impediret, quia timeret, ne non audiretur, vel ne communitas aut domus turbetur tuis querelis, non poteris presumere consensum, uti rectè *Navar. Mendoz. Rodrig. Suar. Sanch. Castrop.*, nam licet verum sit, qui tacet consentire videtur, Reg. 43. de Reg. Juris in 6., tamen id non tenet, ubi est res nobis odiosa, nec adest obligatio loquendi, uti rectè *Abbas in c. nonne, n. 1. & Volpil. de actibus humanis c. 1. n. 3.*

823 Q. 137. Quid de interpretatione legis sit notandum. R. seqq.

§. I. Interpretatio legis est actus prudentiæ, quo declaratur sensus legis non ita claræ: estque actus doctrinæ & non jurisdictionis, nisi de novo influat potestas legislativa: habetque locum in lege naturali & positiva, tam divina quàm humana.

824 §. II. In interpretatione legis præceptivæ vel pænalis debet servari proprietates verborum in sensu naturali secundum usum communem hominum: si autem nomen sit analogum, stat pro famosiori analogato, uti rectè *Castrop. T. 3. d. 5. p. 3. §. 1.*, v. g. si lex talis loquatur de filio, intelligitur naturalis tantum & non adoptivus; si loquatur de morte, intelligitur naturalis & non civilis: quod si legislator postea dicat se aliter intelligere, quàm verba propriè sumpta sonent, hoc dicit sicut privatus Doctor, & non ideo præcisè obligamur ejus interpretatione stare, nam hæc interpretatio, neque est declaratio mentis ab ipso habitæ, cum enim recurrat ad impropriam significationem, præsumi non potest illam habuisse, ergo mens ista non potest censerì fuisse imbibita in lege, ergo nec potest ad illam extendi, quia lex non potest extendi, ad casum, qui à principio à lege non fuit comprehensus, nisi de hoc accedat nova lex: neque erit obligatio ex eo, quod hæc interpretatio videatur esse

esse nova lex, si enim esset lex, deberet promulgari, ergo saltem ante sufficientem promulgationem non obligabit, ita cum aliis *Castrop.* Similiter si lex nova esset correctiva prioris, esset strictè interpretanda & explicanda secundum interpretationem antiquæ, etiamsi hæc foret abrogata, *L. non est novum: L. sed & posteriores*, ff. de legibus: non est autem asserenda correctio legis, si conciliari possint, cap. *cum expediat*, de electione in 6., *L. sed & posteriores*, ff. de legibus.

§. III. In interpretatione legis favorabilis, lex 825 extenditur ad proprietatem verborum, etiam in sensu civili, v. g. si filiis detur privilegium aliquod, postquam parentes fuerint mortui, extenditur ad filios adoptivos, & ad mortem etiam tantum civilem parentum, v. g. si mittantur in exilium, aut fiant Religiosi, tum enim dicuntur mortui civiliter: ita *Illf. t. I. d. 2. n. 42.*

§. IV. In interpretatione legis odiosæ vel pœnalis 826 semper accipi debet, quod est minus, ut n. 596. dictum est, nam *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, Reg. 49. *Juris in 6. semper in obscuris, quod minimum est sequimur*, Reg. 9. ff. de Reg. Juris. *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*, Reg. 56. *In pœnalibus causis benignius interpretandum est*, Reg. 115. *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius*, Reg. 192. Putant tamen *Pirhing* ad Tit. de Electione, n. 291. & alii, si constitutio etiam pœnalis emanet ad coadjuvandum jus antiquum, esse latè interpretandam, sed contradicunt alii cum *Passer. c. 33. n. 13.*, quia non est nostrum ita explicare Regulas generales Juris, inter quas est Reg. 15. *Juris in 6. odia restringi, & favores convenit ampliari: & L. 42. ff. de pœnis, interpretatione legum pœnæ mollienda sunt potius quam asperanda.*

Hh

§. V:

- 827 §. V. Simplex observantia, quamvis non longi temporis, est in casibus dubiis optima legum interpretatio, debetque attendi, quamvis de jure sensus verborum probabilitatis suaderet contrarium, & diversum reciperet sensum, ita *Barbosa* aliique multi cum *Luca* de benef. d. 67. n. 6. & 7. addens n. 9. observantiam, quæ attendi debet, esse proximam seu ultimi temporis.
- 828 §. VI. Quando prohibetur interpretatio alicujus legis, & præcipitur intelligentia, prout verba jacent, per se loquendo illa tantum interpretatio prohibetur, quæ est frivola & contra mentem legislatoris, aut saltem talis, quæ fiat ex professo typis mandanda, uti cum aliis putat *Castrop.* §. 2. & *Illf.* n. 41. Interpretatio autem non habet locum, quando legislator interrogari potest, quia Imperator l. 1. Cod. de legibus ait, *inter æquitatem jusque, interpretatam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere.*
- 829 Q. 138. Quid de *Epiikia* sit notandum. R. seqq.
- §. I. *Epiikia* ab *Epi* supra, *Eixēt*, *æquitas* aut *benignitas*, latinè dicitur summa quædam æquitas seu benignitas; & definitur, actus prudentiæ quo ex æquo & bono judicatur, quod verba legis, quamvis clara sint, tamen hic & nunc non sint servanda, eò quod legislator credatur ex quadam æquitate & benignitate non fuisse comprehensus hunc casum, si prævidisset, quamvis sciatur nunc comprehendisse: unde ab interpretatione differt per hoc, quod interpretatio exponat verba obscura, *Epiikia* autem dicitur rectè agi contra clara verba legis: à præsumptione licentiæ differt, quod præsumptio supponat legem etiam ad hunc casum se extendere, & obligaturam fuisse, nisi licentia Superioris aliqua haberetur, quæ permittit agi contra, eò quod si in-
- terro-